



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Solida, Verboqve Dei Et Libro Concordiae Christianæ  
congrua Decisio, Qvatvor Illorvm Inter Aliqvos Theologos  
Augustanæ Confessionis, Nuperrime Controversorum  
Capitum Principaliorum, de verâ ...**

**Johann Georg <I., Sachsen, Kurfürst>**

**Lipsiæ?, [ca. 1624]**

I. Statvs Controversiae De Hoc Capite Quarto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-32961**

CAPUT QUARTUM.

DE STATU EXINANITIONIS CHRISTI JESU:

QUID PROPRIE SIT HÆC EXINANITIO, ET  
secundum quam naturam Christus  
se exinaniverit?

I.

STATUS CONTRO-  
VERSIAE DE HOC  
Capite Quarto.



U M præcedens Caput tertium in vero  
& genuino sensu ac intellectu exinanitionis  
Christi potissimum vertatur, non par-  
va quoque inter Nonnullos Theologos  
orta & prolixè hætenus agitata est con-  
troverfia, *An CHRISTUS IESUS se-  
cundum utramque naturam, an verò tantum secundum huma-  
nam se exinaniverit? Adeoque an omne illud, quod in statu Exi-  
nanitionis fecit, & sustinuit, juxta utramque naturam ille fece-  
rit, & peressus fuerit? Ita quidem, ut & rectè affirmari queat; di-  
vinitatem esse passam: & humanitatem cælum & terram guber-  
nasse, & conservasse?*

Deinde àcerissima quoque est disceptatio, *quid sit  
proprie Exinanitio? an per eam innuatur, quod CHRISTUS  
JESUS secundum assumptam carnem, quoad plenarium &*


G

inces-

*incessantem usum divinae majestatis, realiter, & ἐληθῶς, voluntarie tamen, & tantum usque ad statum Exaltationis se exinaniverit? vel an Exinanitio illa hoc solum intendat, Christum in statu ὑπόστασις aequè, ac jam ad dexteram DEI, qua homo fuit, inhabitantem suam plenitudinem totam Deitatis plenariè ac incessanter, sed tamen occultè & latenter in regimine totius universi, usurpasse & exercuisse?*

## II.

DECISIO HUIUS CONTRO-  
VERSIAE.

*ni-  
ri-  
my  
n.*  T ergo secundum Scripturæ Sacrae ductum de rebus istis loquamur & sentiamus, certum initio est, profundam CHRISTI exinanitionem, non minùs quam ipsam Incarnationem pro ὁμολογημένως magno mysterio habendam esse, 1 Timoth. 3. vers. 16. Unde & Beatus Apostolus doctrinam de crucifixo Domino gloriae, sapientiam mysticam ἀποκρυφίμην, reconditam, vocat, 1. Corinth. 2. vers. 7. quod incitamento Nobis meritò esse debet, ut magnà cum reverentia de rebus istis loquamur, nec nobis imaginemur, quasi abyssum hujus mysterii in hac vita penitus perscrutari queamus; Ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus: Nunc per speculum cernimus, in enigmate, tunc autem cognoscemus, quemadmodum & cogniti sumus, 1. Corinth. 13. vers. 9. & 12.

*Deinde certissimum & hoc est, quòd CHRISTUS JESUS secundum divinitatem, se nec humiliarit, nec exinaniverit: Et unanimiter hætenus contra Sacramentarios ac Calvinistas, ex Scriprura Sacra, & Orthodoxa Antiquitate doctum ac creditum est, divinam naturam nec exaltari, nec humiliari potuisse: DEUS enim totus est immutabilis; nec apud ipsum est vicissitudo, vel trans-*  
*mutatio,*